

.lxxxiii. DE OFFICIO NONE . HORE .

Nona utique hora inde consecratur . quia in ea dominus pro inimicis postu-
lans in manus patris spiritum commendauit . qua uidelicet hora . fideles
suosque oportet ut se deo commendent cum deuota oratione . qua caput
suum cognoscunt propriam animam patri suo commendasse . ut in eius corpus
coadunati . cum ipso regnum possint intrare perpetuum . Hoc que consi-
deratione dignum est . quod per cuncta hęc temporum spatia . ternarius
numerus satis uenerabilis emicat . nos ammonens . ut post trium
horarum curricula unumquodque horum officiorum peragentes . sanctam tri-
nitatem sacris laudibus celebremus . Horum quoque officiorum statuta
obseruasse . Ipsi apostoli leguntur . sicut in actibus apostolorum legitur .
quod petrus qua die uisionem communicationis in illo uasculo expertus
est . Sexta hora orandi gratia ascenderit . Et iterum . Petrus
inquit et iohannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam .